

www.e-rara.ch

**Gasparis Schotti ... schola steganographica, in classes octo distributa,
quibus, praeter alia multa, ... explicantur artificia nova ...**

Schott, Kaspar

Norimbergae, 1680

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12633>

Prooemium de operis occasione, ac partitione.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PROOEMIUM

De
OPERIS OCCASIONE, AC PARTITIONE.



Eterum sententia est plurimorum, septem planetis septem Spiritus à DEO in ipso Mundi exordio praefectos, qui partitis per tempora officiis Mundum gubernarent, eiq; unusquisque treseptis quinquaginta quatuor annis, mensibus q; quaternis praesset, ac illis elapsis alteri regimen contraderet. Ac principio quidem Saturni spiritum, Oriphielem dictum, regimen cepisse anno Mundi primo, continuasseq; per dictum temporis spatium: eo elapso, tradidisse imperium Anaëli, Veneris Spiritui; Et hunc elapso tempore Zacharieli, Angelo Jovis; Zacharielem verò Raphaëli, Spiritui Mercurii; hunc secutos Samaëlem Angelum Martis, Gabrielelem Angelum Luna, Michaëlem Angelum Solis; reditumq; denuò ad primum, Et ad reliquos deinceps. Addunt, sub Oriphielis regimine homines fuisse rudes, Et agrestium more in solitudine commorantes; sub Anaële cepisse esse cultiores, constituisse domos Et urbes, invenisse artes manuales, sub Zachariele surpassasse dominium in alterutrum, exercuisse venationes, tentoria fecisse,

PROOEMIUM.

cisse, corpora variis indumentis exornasse; sub Raphaële, Mercurii Spiritu, graphidem seu artem scribendi invenisse, & litteras primò ad formam arborum, plantarum, animalium, aliarumq; rerum, deinde aliis ac facilioribus modis effigiasse; sub aliis denique alia inventa, variasq; circa religionem & imperia mutationes contigisse. Hinc orta fortassis opinio, Mercurium, cujus regimen cœpit anno Mundi M. DC. III. die Februarii XXIV. (si vera sunt quæ retuli, & non, ut astimo, otiosorum hominum figmenta) primum fuisse qui & graphidem docuerit, & Steganographiam invenit: Scriptio enim per notas animalium, arborum, plantarum, consimiliumq; rerum, (qualis olim erat sacra Ægyptiorum, & etiamnum hodie Chinesium, aliorumq; nonnullorum India utriusque populorum) Steganographica est, nec nisi in arte illa instructis nota.

Cum graphide, quæ cultior successu temporis evasit, Steganographia quoque ornatum induit, & hæc tempestate in tantam excreverat perfectionem, ut nihil ipsi addi posse videretur. Inventus tamen qui dudum invenit, & hoc ipso anno quo hæc scribo, post Christum scilicet natum M. DC. LXIII. in lucem edidit POLYGRAPHIAM NOVAM ET UNIVERSALEM, in tria Syntagmata divisam: quorum Primum continet Inventum

)()()()

novum,

PROOEMIUM.

novum, quo quisque vel unicâ linguâ vernaculâ, qualiscun-
que tandem illa sit, per litteras cum omnibus totius Orbis
populis & nationibus, reciproco commercio respondere
posse demonstratur. *Inscribitur LINGUARUM
OMNIUM AD UNAM REDUCTIO.* *Se-*
cundum continet Modum à Trithemio olim in sua Polygra-
phia indigitatum, à nemine tamen plenè intellectum, quo
quivis, etiam linguarum imperitus, sub qualibet lingua ani-
mi sui conceptus amico distanti manifestare queat. *Inscri-*
bitur LINGUÆ UNIUS AD OMNES ALIAS
TRADUCTIO. *Tertium* continet novum Arcanum
Steganographicum & universale, sive humano ingenio im-
penetrabilem scribendi modum, à Trithemio pariter in sua
Polygraphia indigitatum, sed in hunc diem à nemine ca-
ptum, & passim à plerisque pro paradoxo habitum, jam
tandem à falsa persuasione vindicatum, atque omnibus nu-
meris absolutum.

Modum scribendi quem secundum Syntagma comple-
titur, promiserat diu antè Joannes Trithemius in sua,
quam scribere cœperat, Steganographia, & non solum in-
dicaverat, sed re ipsâ docuerat in lib. 1. & 2. Polygraphia.
Quia tamen nihil quod rarum & ingeniosum, simul &
nascitur, & omnibus modis perficitur, facileq; est in-
ventis addere; excoluit ipsum, & ad majorem nitorem
perdu-

PROOEMIUM.

perduxit laudatus P. Athanasius Kircherus in citato Opere.

Hoc eodem in Opere, Syntagm. 3. cap. 7. & ult. insinuat breviter idem Auctor aliud Inventum novum, quo quis per Epistolas doctè & eleganter in quacunque lingua scriptas, arcana mentis amico absenti manifestare potest. Cujus Inventi seu Methodi dispositio quia majus otium tempusq; requirebat, quam ut ipse aliis occupatissimus in effectum deducere posset; mihi illud excolendi, ac litterariae Reipublicae communicandi curam demandavit, litteris die 2. Martii presentis anni 1663. Româ ad me datis. Cui cura dum incumbit, novi modi non pauci, & hoc, & alia Steganographica inventa expoliendi, atque ab omni latentis arcani suspitione, quâ laborant pleraque, liberandi in mentem venere: quae simul prodere, ac doctæ Posteritati meliora adinveniendi occasionem dare, non omittendum censui.

Itaque ut avidus Lector videat Inventi novi jam memorati genesis, progressum, ac perfectionem quam molior, omniaq; ritè ac methodicè percipiat; tradam primò brevissimè Trithemii Methodum lib. 1. & 2. Polygraphiae propositam, secundò, Athanasii Kircheri Inventum Syntagmate secundo editum, & Trithemiano Artificio æmulum; tertio, ejusdem Kircheri Inventum multiplex ac jucundum,

) () () (2 editum

PROOEMIUM.

editum Syntagmate tertio; quartò tandem Inventum novum eodem Syntagmate tertio ab ipso insinuatum, & pro ingenii mei tenuitate excultum, perfectiusq; redditum. Addam post hæc quintò aliam Steganographiam prioribus similem, sed breviorē ac faciliorem: & sextò adhuc aliam per paucas ac per breves tabellulas, quibus compendiò ac summâ facilitate omnia ferè præcedentia Artificia perficiuntur. Septimò dabo varia Erotemata Steganographica, tum ex P. Kircheri, tum ex Trithemii Polygraphia, aliorumq; Steganographiis desumpta, & variis Reflexionibus atque Animadversionibus vel augebo, vel elucidabo. Octavò denique producam varia Artificia tam ad Steganographiam, quàm ad Steganologiam spectantia; uti & varia Epistolas occultè ad absentes mittendi stratagemata. Omnia ad majorem DEI gloriam, & discere cupientium utilitatem.

Interim Lectorem hisce studiis non assuetum moneo, ut quæ trado hoc Opusculo, eo legat ordine, quo scripta sunt. Si quæ post primam, alteramq; lectionem non intelligat; animum ne despondeat, sed ad sequentia gradum faciat; mista enim difficilibus sunt faciora, obscuris clariora, inamœnis jucunda. Hac ubi penetraverit, ad priora redeat. Labore non magno aditum sibi reseratum gaudebit. Sequitur

SYNO-